

(**) XVII. Dein quædam institutæ sunt ad SS. Sacramenti, Deiparæ Virginis, et Sanctorum cultum promovendum; at novæ, multæque successu temporis institutæ societates, non ideo utiliores evaserunt. Improborum nonnulli pio Sanctorum nomine abutentes, machinandis potius criminibus, quam collendis Sanctorum festis inter se conveniebant. Quocirca Henricus IV. an. 1473. et Carolus V. an. 1534. Confraternitates omnes, nisi quæ piis exsequendis exercitiis erectæ fuerant, ac præcedente Ordinarii, et Regis licentia, extinguendas omninò esse, neque aliter de novo erigendas decrevere: *Leg. III. Tit. XIV. Lib. VIII. Novæ Recop. Quin et præf. Carolus an. 1552.* Societates omnes, etiam Regio confirmatas Decreto, quæ ex hominibus fabrilibus deditis exercitiis coaluerant, abolendas sanxit: *Leg. IV. eod. tit.* Confraternitatum tamen erectiones plurimum promovit S. Carolus Borromæus in Conc. Mediolan. II. III. et IV. quippè quæ tunc uberrimos in Ecclesia fructus efferre posse viderentur. Pius V. in Constit. *Ex debito*, Episcopos hortatur, ut Confraternitates ad puerorum institutionem erigere curent. Tum qui secuti sunt Pontifices, Confraternitatum erectiones Indulgentiarum, et privilegiorum concessionibus decorarunt. Nemo non videt hujusmodi societates, quæ proximorum subveniendis indigentibus institutæ sunt, utiles prorsus esse, si ex hominibus coalescant, qui Christi quærunt, non quæ sua sunt, et nisi fortè irrepserint abusiones à præf. Syn. Nannetens. damnatæ. Eæ quæcunque sint absque Regio, uti dictum est, adsensu erigendæ non sunt, et adprobatis ab Ordinario Constitutionibus. Clemens VIII. in Constit. *Quicunque*, et Syn. Valent. an. 1565. *Sess. IV. Tit. III. cap. 13.* alias 15. Imò visitari possunt ab Episcopo; nisi quæ sub Regum immediata protectione sunt: Trident. *Sess. XXII. Ref. cap. 8.* (*)

CAPUT DECIMUS SEXTUS.

DE BONORUM ECCLESIASTICORUM ORIGINE, ET ACQUISITIONE.

I. Per tria priora Ecclesiæ sæcula dum tyrannorum debacchabantur persecutiones, Bona Ecclesiastica potissimum res erant mobiles ex collata fidelium symbola collectæ, quæ facillè adsportari, abscondi, vel distribui possent, uti frumentum, vinum, oleum, vestes pro pauperibus, atque etiam pecunia, qua ad victum necessaria parabantur: Justinus *Apol. I. in fine*, Tertullianus *Apol. cap. 39.* Profecto res immobiles periculis quam maximè erant expositæ; eas enim invadere sæviente persecutione gentilibus haud fuisset difficilè; neque Ecclesia de hac invasione apud iudices conqueri potuisset.

II. Hoc autem haud ita est intelligendum, quasi omne per illud temporis bonorum stabilium possessione Ecclesiæ caruissent: earum enim plerisque jam indè ab III. sæculo suas fuisse res immobiles, scilicet ædes, prædia, hortos, aliaque hujus generis tum ex aliis evincitur, tum vel maximè ex decreto Constantini, et Licinii an. 313. Eusebio *Vit. Const. Lib. II. cap. 39.* memorato, ubi inter alia sic decernitur: *Omnia, quæ ad Ecclesias visa sunt pertinere, sive domus possessio sit, sive agri, sive horti, sive quæcunque alia. . . . restitui jubemus.*

III. Jam verò reddita à Constantino M. Ecclesiæ pace Ecclesiastici proventus valde creverunt, ejusdem præsertim Imperatoris opera, qui in hanc rem duas edidit leges. Et quidem 1. decrevit, *ut eorum hæreditates, qui pro Christo martyrium, mortem, exilia, bonorum proscriptionem passi erant, vel ipsis redintegrarentur, vel eorum proximis, aut si proximi essent nulli, Ecclesiæ:* Euseb. *ibid. Cap. 35. et 36.* Tum 2. liberum unicuique permisit arbitrium quodcunque

vellet Ecclesiis donandi: *Habeat unusquisque licentiam sanctissimo Catholico, venerabilique Concilio decedens, bonorum quod optaverit, relinquere:* *Leg. I. Cod. de Sacros. Ecclesiis.*

IV. Porrò qui Constantinum exceperunt Imperatores, hi etiam latis legibus redditibus Ecclesiasticis augendis plurimum contulerunt. Ac 1. Theodosius Junior, et Valentinianus priorem Constantini legem non confirmarunt modo, verùm ad hæreditates Clericorum intestatorum extenderunt; ut scilicet si nulli eorum superessent agnati, et cognati Ecclesiæ jure hæreditario deferrentur: *Leg. XX. Cod. de Episc. et Clericis.*

2. Templâ Gentilium, eorumque reditus nonnumquam Ecclesiæ ex Imperatorum liberalitate addicta. Honorius Imp. haud paucarum Constitutionum meminit, quibus hujusmodi reditus Ecclesiæ adjudicaverit: *Leg. XX. Cod. Theod. de Pagan. Sacrif. et Templ. Sozom. Lib. V. cap. 7.*

3. Hæreticorum etiam conventicula, et prædia ad eadem spectantia Honorius Imp. Catholicæ Ecclesiæ ditioni vindicanda præcepit: *Leg. LIII. Cod. Theod. de Hæreticis.*

4. Demùm ex Justiniani legibus, si qui Clerici, vel Monachi temporalibus instructi bonis, Ecclesia, vel Monasterio relicto, ad vitam redirent privatam, omnia ipsorum bona Ecclesiæ, vel Monasterio, ad quod spectarint, addicebantur: *Leg. LVI. §. II. Cod. de Episcop. et Cleric. et Novell. V. cap. 4.*

(**) 5. Hispaniarum Ecclesia, quæ prioribus Ecclesiæ sæculis voluntariis fidelium oblationibus pendebat Syn. Illiberit. *Can. XXVI.* donata quoque Clericis mercimonium exercendi venia ad *victum exquirendum Can. XIX.* jam indè à sæculo VI. res immobiles obtinuisse videtur. Id non obscure indicat Syn. Tarracon. an. 516. *Can. XII.* constituens siquidem, quod Clerici de intestati Episcopi defuncti bonis, id est *de utensilibus, vel de omni suppellectili* rationem accipiant, alia præter mobilia bona Episcopos habuisse profecto indicat. Sed expressius Syn. Tolet. II. *Can. IV.* his verbis; *Si quis Clericorum agellos, aut vineolas in terris Ecclesiæ sibi fecisse probatur sustentandæ vitæ causa. . . . post suum de hac luce discessum. . . . jus suum Ecclesiæ Sanctæ restituat.* (*)

V. Jam porrò illud quam maximè curæ erat Ecclesiæ, quum et bona mobilia, et fidelium oblationes reciperet, ut nihil inde damni præcipue filii familias paterentur. Et sane S. Augustinum nonnullas in præjudicium filiorum, parentum, vel adfinium Ecclesiæ relictas hæreditates repudiassè testis est Possidius in ejus vita *Cap. 24.* Id quod idem S. Doctor innuere videtur *Serm. 49. de vita Cleric. Quando donavi, inquit, filio, quod iratus Pater moriens abstulit, bene feci. . . . Quicumque vult exheredato filio hæredem facere Ecclesiam, querat alterum, qui suscipiat, non Augustinum: imo Deo propitio neminem inveniat.* *Ibid. Aurelii Ep. Carthaginensis factum commendat, qui cuidam ob enatos ei filios reddidit, quod ipsæ Ecclesiæ, filios nec habens, nec sperans, donaverat, tum subnectit: In potestate habebat Episcopus non reddere, sed jure fori, non jure poli.*

ARTICULUS I.

DE BONORUM ECCLESIASTICORUM ADMINISTRATIONE.

VI. Bonorum Ecclesiasticorum supremus moderator semper in Ecclesia Episcopus habitus est: Canones sic dicti *Apost. Can. XXXVII. et XL. Conc. Antioch. Can. XXIV. et XXV. Cypr. Ep. 33. (**). Syn. Tolet. III. Can. XIX.*

Cōjacen. an. 1050. *Cap. III. (*)* Quinimodò pluribus in eadem Diocesi jam constitutis particularibus Ecclesiis, iisdemque veluti incardinatis Presbyteris, adhuc tamen omnium Dioceseos Ecclesiasticorum bonorum cura penes Episcopum erat, qui è comuni Ecclesiæ matricis ærario ad omnes Diocesanos Clericos in singulos dies, hebdomadas, aut menses portiones mittebat. Hanc disciplinam ad medium usque sæculo V. in Ecclesia Cpolitana viguisse ex Theodoro Lectore colligitur: *Lib. I. pag. 553. edit. Vales. (**)* In nostra Hispaniarum Ecclesia id moris fuit sæculo VI. ex præscripto Syn. Brac. I. *Cap. XXI. alias Can. XXXVIII.* ut oblationes per annum collectæ, et apud alterum ex Clericis servatæ, semel, aut bis in anno inter omnes Ecclesiæ ministros distribuèrentur. (*)

VII. Porrò plura hac in re notanda occurrunt: I. Episcopis ad vitandam quæcumque infidæ dispensationis suspicionem administris utendum fuisse, præsertim Archidiacono, et Œconomò; quibus tamen Episcopo, tanquam principi Ecclesiæ rectori, identidem ratio administrationis reddenda erat: Syn. Chalced. *Can. XXVI.* Hieron. *Ep. 1. ad Nepot. Possidius in Vita August. (**)* Eadem quoque viguit in Hispania disciplina, ut evincitur ex Syn. Bracar. I. *Cap. VII. alias Can. XXIV.* et quidem ex præscripto ejusd. Syn. Chalced. ex Hispal. II. *Can. IX.* et Tolet. IV. *Can. XLVIII. alias XLVII. (*)*

2. Eadem de causa totius aliquando Cleri consilium in bonorum Ecclesiasticorum dispensatione ab Episcopo fuisse adhibitum: atque adeo in Synodo Provinciæ administrationis rationem Episcopum ipsum reddere coactum fuisse: Syn. Antioch. *Can. XXV.*

3. Diligentis, et industrii Œconomi electionem veterum Conciliorum Patribus adeo cordi fuisse, ut Episcopum bona Ecclesiastica absque Œconomò tractantem pœnis Canonicis subjecerint: Syn. Chalc. *Can. XXVI. (**)* et Hispal. II. præf. *Can. IX. Si quis Episcopus Ecclesiasticam rem... sine testimonio Œconomi gubernandam crediderit, vere ut contemtor Canonum, et fraudator Ecclesiasticarum rerum, non solum a Christo de rebus pauperum judicatur reus, sed etiam et Concilio manebit obnoxius.* Cui consonat Syn. Tolet. IV. *ibid. Qui deinceps contemserit, (eligere Œconomum) obnoxius ejusdem magni Concilii erit. (*)* Tum Metropolitæ facultatem dederint in Ecclesiis suæ Provinciæ Œconomos constituere, si qui eis subsunt Episcopi, nolint in suis Ecclesiis Œconomos constituere: Syn. Nicæna II. *Can. XI.*

4. In reddituum Ecclesiasticorum distributione antiquitus eam omnino regulam fuisse servatam, ut quantum cuique opus erat, tantundem acciperet; licet deinde mos inveni cœperit, in Ecclesiis præsertim Occidentalibus, ut in quasdam veluti portiones dispescerentur, quarum una Episcopo, altera Clericis, tertia pauperibus, quarta fabricæ impendenda reservaretur: Ita Gelasius P. *Epist. I. ad Episcopos Lucaniæ cap. 29.* Simplicius P. *Epist. 3. ad Florent. et Gregorius M. Epist. 11. Lib. III.* At Syn. Brac. I. *Cap. VII. alias Can. XXIV.* tres tantum partes constituit, Episcopo unam, aliam Clericis, tertiam ædificiis, et luminaribus Ecclesiæ adsignans. Profecto, in hac partitione Episcopo hospitalitas exercenda relinquebatur. (**). Inconcussa fuit in Hispania triplex hæc bonorum divisio. Eam innunt Syn. Tarrac. *Can. VIII.* Bracar. II. *Can. II.* Tolet. IV. *Can. XXXIII. alias XXXII.* Emerit. *Can. XVI.* quam quidem usitatam in Hispania consuetudinem refert Syn. Agripinensis *Cap. VI.* Peculiaris revera est forma, quam præscribit Syn. Emerit. *Can. XIV.* decernens, quod tertia Subdiaconis, et Clericis tribuatur, ut à Primiclero juxta quod in officio eos Episcopus præscit esse intentos, ita singulis dispensetur. Imò poterat Episcopus alios Clericos præ aliis con-

digna meritis largitione de rebus Ecclesiæ remunerare: Ead. Synod. *Can. XIII. (*)*

5. Demum veterem canonicam reddituum Ecclesiasticorum distributionis regulam, et Œconomorum usum tum primò exolescere cœpisse, ubi et Ecclesiis Parochialibus certi redditus adscripti sunt, et bonorum Ecclesiasticorum cura ad singulos Beneficiarios devoluta est; quod quidem neque eodem tempore, neque eadem prorsus ratione obtinere cœpit. (**). In Hispania quum primo canonica vivendi methodus restituta est, Œconomorum etiam et Dispensatorum officium restitutum cœpit, uti adparet ex Synod. Compost. an. 1056. *Cap. I. (*)* At de hoc capite opportunius in Tit. *de Origine Beneficiorum* redibit sermo.

ARTICULUS II.

DE BONORUM ECCLESIASTICORUM ALIENATIONE.

VIII. Jam tum ferè, quum Ecclesia bona immobilia adipisci cœpit, Canones sanciti occurrunt, quibus hujusmodi bonorum alienatio severe interdicitur: ita *Can. XXXIX. Codicis Africani*, alique quam plures à Gratiano relati *Caus. 12. Q. II.* et Epistola Canonica S. Cyrili Alex. ad Dominum. Ejusmodi Ecclesiasticum interdictum regis sanctionibus confirmarunt, et quidem pro Ecclesia Cpolitana Leo Imp. *Leg. XIV. Cod. de Sacrosanctis Ecclesiis*, pro omnibus Patriarchatus Cpolitani Ecclesiis. Anastasius *Leg. XVII. eodem*: tum ad reliquas Christiani Orbis Ecclesias extendit Justinianus: *Novell. VII. et CXX.* Atque adeo hæc interdictio obtinebat, ut neque Episcopus, neque Rom. Pontifex rerum Ecclesiæ alienandarum potestatem sibi tribueret, nisi justa de causa, et non sine debita solemnitate: *Can. XVIII. et XX. ibid. (**)* Jam diu obtinebat in Hispania, quod nefas esset Episcopis res Ecclesiæ distrahere. Ad rem Synod. Tolet. III. *Can. III. Hæc Sancta Synodus nulli Episcoporum licentiam tribuit, res alienare; quoniam et antiquioribus Canonibus prohibetur. Opportunum est enim (ait Synod. Tolet. VI. Can. XV.) ut sicut fidelia servitia hominum non existere censuimus ingrata, ita Ecclesiis collata (quæ proprie sunt pauperum alimenta) eorum in jure pro mercede offerentium maneat inconversa.* Poterat tamen Episcopus justa nonnunquam compensatione uti, ac tantundem sibi recuperare, vel de bonis Ecclesiæ consanguineis elargiri, quantum ille prius Ecclesiæ præbuisset indigenti; id quod de mancipiis præsertim intelligas ex Syn. Hispal. I. *Can. II.* et Tolet. IV. *Can. LXVII. alias LXVI. Episcopi verò (ita decernit) qui nihil ex proprio suo Ecclesiæ Christi compensaverunt... Divinam sententiam metuant, et liberos ex familiis Ecclesiæ ad condemnationem suam facere non præsumant. Tales igitur liberos successor Episcopus absque aliqua oppositione ad jus Ecclesiæ revocabit; quia eos non æquitas, sed improbitas absolvit.* Non enim defuerunt Episcopi, qui nedum Apostolicæ, qua ornabantur, dignitatis, sed et justitiæ, et æquitatis oblitæ, vel peculii augendi, vel consanguineorum ditandorum causa, plures exorbendæ Ecclesiæ substantiæ rimas excogitarunt; ut servorum Ecclesiæ operas in suam referrent utilitatem. Hos acerrime insectata est Syn. Bracar. III. *Can. IX.* eos ad pœnam talionis constringens. Quæ secuta sunt Concilia interdixere etiam bonorum Ecclesiæ alienationem. Palent. videlicet an. 1388. *Cap. IV.* Constitutiones hæc in re in Lugdunensi, et Viennensi editas confirmans Hispal. an. 1512. *Cap. LI. et LII.* Constitutionem Pauli II. *Ambitiosæ* renovans; irritam quoque declarans, si qua fortè facta fuerit alienatio sine ullo elapsi temporis præjudicio. In Decretalib. Greg. IX. Sext. Clement. Extravag. Communibus plura collecta sunt R. Pontificum Decreta, quibus rerum Ecclesiasticarum

vetatur alienatio. Denique Syn. Trid. *Sess. XXV. Ref. cap. 11.* locationes spiritualis jurisdictionis penitus interdixit; ac bonorum Ecclesiasticorum ad longum tempus confectas Synodo Provinciali dijudicandas reliquit. Quocirca Syn. Tolet. an. 1582. *Act. II. Decret. 11.* Episcopos hortatur, ut longi temporis locationes *ultra tempus a jure permissum in damnum Ecclesie, et contra Canonicas sanctiones factas . . . nullus, irritasque decernant.* Tempus autem à jure permissum triennium duntaxat intelligendum est, uti decrevit Pius V. *Constit. Etsi de singulis* an. 1569. Reges etiam nostri Ecclesie tutelam addictissimi pro ejusdem Ecclesie rebus conservandis nihil non egere. Wamba *Leg. VI. Tit. IV. Lib. IV. Fori Judic. Can. V.* Concilii Toletani XI. confirmans, et *Leg. III. Tit. I. Lib. V. ejusd.* Alphonsus Sapiens *Leg. I. Tit. XIV. Partit. I.* et Henricus II. *Leg. VI. Tit. II. Lib. I. Novæ Recop.* decernens, quascunque alienatas Ecclesie res, Ecclesie restituendas esse, ab eaque si in ejus utilitatem venditio obvenerit, tradendum esse pretium emtori; non è converso. (*)

IX. Tres potissimum justas res Ecclesie alienandi causas agnoscunt Canonistæ; nimirum Necessitatem, Utilitatem, et Pietatem. (**) easque recensuit Alphonsus *Leg. I. ibid. (*)* Qua de re in Clement. I. *de Rebus Ecclesie alienandis, vel non post constitutam alienandi res Ecclesie interdictionem subditur: Nisi necessitas, aut utilitas Monasterii, Prioratus, Ecclesie, aut administrationis hujusmodi hoc exposcat:* et Justinianus in *Novell. CXX. cap. 10.* ubi sacra vasa vendi, aut pignori supponi vetat, statim subnectit, *nisi pro redemptione captivorum;* et *Leg. XXI. Cod. Justin. de Sacros. Eccles. Excepta causa captivitatibus, et famis in locis, quibus hoc contigerit.*

X. Jam verò Necessitas, vel Utilitas evidens sit oportet: E. g. si fructus non sufficiant necessariis Ecclesie sumtibus, aut Clericorum sustentationi, aut debitorum solutioni; vel si grave immineat Ecclesie damnum, si ædes ruinose dentur in emphiteusim, vel silvestria loca, aut prædia inculta colonis tradantur excolenda: *Novell. VII. cap. 3. et Novell. CXX. cap. 6.* tum si prædia propinqua cum longe dissitis commutentur: *Can. LIII. Caus. 12. Quæst. II.* aut demum si distrahantur prædiola, aut exiles vineolæ, et Ecclesie minus utiles, aut longæ positæ *ibid. (**)* In Hispaniarum Ecclesia consueverunt Episcopi Clericis sustentandæ vitæ causa, vel benefactoribus laicis agellos *sub precaria nomine* tradere excolendos: Syn. Tolet. VI. *Can. V.* et Tolet. IX. *Can. III. (*)*

XI. Pietati verò in alienandis Ecclesiasticis bonis locus est, quum aut urgente gravi necessitate pauperes à miseris sunt sublevandi, aut redimendi captivi, sepeliendive fideles. S. Ambrosius vasa sacra Ecclesie Mediolanensis impendit, ut captivis libertatem impartiret. Id quod quum invidi Ariani, perinde ac erimen ipse admississet, traducerent, gravem pro se scripsit Apologiam: *De Offic. Lib. II. cap. 28.* in qua inter alia hæc habet: *Aurum Ecclesia habet, non ut servet, sed ut eroget in necessitatibus . . . nonne dicturus est Dominus; ꝑcur passus es tot inopes fame emori? et certe habebas aurum, unde ministrasses alimoniam. ꝑcur tot captivi deducti in commercio sunt, nec redempti ab hoste occisi sunt? melius fuerat, ut vasa viventium conservares, quam metallorum. His non posses responsum referri. ꝑcur quid enim dices? Timui ne templo Dei ornatus deesset? Responderet, aurum Sacramenta non querunt: neque auro placent, quæ auro non emuntur. Nemo potest dicere, ꝑcur pauper vivit? Nemo potest queri, ꝑquia captivi redempti sunt? . . . Nemo potest dolere, quia in sepulcris Christianorum requies est defunctorum. In is tribus generibus vasa Ecclesie etiam initiata confringere, conflare, vendere licet. Eidem usui vasa sacra suarum Ecclesiarum addixisse*

Augustinum, Acacium Episcopum Amidæ, Cyrillum Hierosol. et Episcopum quendam Carthagin. nomine Deogratias testes sunt luculentissimi Possidius in *Vita Augustini cap. 24.* Socrates *Lib. VII. cap. 21.* Sozomenus *Lib. IV. cap. 25.* et Victor Utic. de Bello Vandal. *Lib. I. Biblioth. Patr. Tom. VII. pag. 591. (**)* Undè integrum erat Episcopis, vel in Ecclesiarum, aut Monasteriorum constructionem, vel in subveniendis Clericorum, et pauperum indigentis, vel in hospitalibus peregrinis, sive in aliis id genus pietatis operibus ex Ecclesie bonis aliquid expendere: Synod. Tolet. III. *Can. III.* dummodo detrimentum non inferret Ecclesie *Can. IV.* cum hoc tamen discrimine, quod in Ecclesiarum vel sepulturæ constructione centesimam duntaxat partem; in Monasteriorum verò quinquagesimam insumere poterat, *ut hac temperamenti æquitate servata, et cui tribuit competens subsidium conferat, et cui tollit damna gravia non infligat;* ut ait Syn. Tolet. IX. *Can. V. (*)*

XII. Quod verò ad ritus, sive, quas vocant, *sollemnitates* attinet, quibus bonorum Ecclesie alienatio peragenda erat, advertendum est, primo quidem, quum Episcoporum probitas satis perspecta esset, ipsis duntaxat ea alienandi arbitrium permissum fuisse; eorum enim iudicio disquirendum relinquebatur, num legitime subessent alienationis causæ; (***) et omnem adhibere curam tenebantur, ne ex fraude, aut negligentia in contractu fortassis interveniente, quicquam detrimenti Ecclesia pateretur. Undè Episcopo prædium aliquod cuiquam ad ipsius vitam retinendum præstaturum, causam præstiti in tabulis necessario describendam voluit Syn. Tolet. IX. *Can. III.* Imò in preciarum scriptura omne id ad quod precantes ligabantur, exprimentum erat, *ut nec per detentionem diurnam præjudicium adferat* (precans) *Ecclesie, et quæcunque in usum perceperit, debeat utiliter laborare, ut nec res Divini juris videatur aliqua occasione negligi, et subsidium ab Ecclesia cui deservunt, percipere possint Clerici:* Synod. Tolet. VI. *Canone V. (*)* Porrò hæc potestate quum nonnulli abuterentur Episcopi, constitutum est, ut si res immobilis, vel mobilis pretiosa distrahenda esset, in Synodo Episcoporum discuteretur, num revera id legitima necessitatis, utilitatis, aut pietatis exposceret causa: *Can. XXXIX. Codic. African. Hilarius P. Epist. 8.*

XIII. Porrò secutis temporibus ea hac in re viguit disciplina, quam descriptam legere est in Decretali à Gratiano Leoni M. Tributa: *Can. LII. Caus. 12. Q. II.* nimirum ut satis sit Cleri, sive Capituli tractatus, et consensus: nomine *Tractatus* causæ discussionem, et cognitionem intelligendam notant communiter Canonistæ. (***) Id perspicue tradit Synod. Tolet. IV. *Can. LXVIII.* alias *LXVII.* his verbis: *Episcopus, qui mancipium juris Ecclesie, non retento Ecclesiastico patrocinio, manumitti desiderat, duo meriti ejusdem, et peculii coram Concilio Ecclesie cui præeminet, per commutationem subscribentibus Sacerdotibus offerat, ut rata, et justa inveniatur definitio commutantis. (*)* Igitur Episcopus, ubi quandam adgredi velit alienationem, Canonicos ad Campanæ sonitum, vel aliter pro ea qua viget ibi consuetudo, advocare debet, cum quibus tum causam alienationis, tum ipsam alienandi rationem discutiat, num scilicet magis Ecclesie prosit res mobiles distrahere, quam immobiles, hoc potius prædium, quam illud, vendere potius, quam permutare, aliaque hujusmodi: demum Canonicis in eandem sententiam convenientibus Instrumentum conficiendum est, quo diserte exprimatur Canonicos post longum, et diligentem tractatum decrevisse, ut hoc, vel illud prædium vendatur, permutetur, vel alia quacunque ratione alienetur, judicantes hujusmodi alienationem Ecclesie conducere.

XIV. Hactenus dicta de alienatione bonorum intelligas, quæ mensam, ut vo-

cant, Episcopalem, vel Capituli, aut Collegiæ reditus constituunt. Ubi enim agatur de bonis Ecclesiæ Parochialis, aut quæ Capitulum, vel Collegium non habet, satis erit, ut Episcopus caussa discussa consensum præstet; at non idem iudicium esto de Ecclesiis, vel Monasteriis ab Episcopali potestate exemptis. Ea enim si Sedi Apostolicæ erunt *immediate* subjecta, tunc sane R. Pontificis consensus requiritur, et quidem specialis, et expressus: Rebusfius in *Comp. alien. rerum Eccles. n. 86.* Quod si ad Monachos, Regulares, aliosve Prælatos spectabunt, tunc quidem alienatio fieri potest auctoritate Ministri Provincialis, vel Generalis, alteriusve Prælati jurisdictionem quasi Episcopalem habentis, cum tractatu tamen, et sollemnitate nuper expressis.

XV. Demum pauca hic præstat subnectere de celebri Decretali Extravagante *Ambitiosa*, quam Paulus II. edidit an. 1468. In ea primum omnes priores canones, decreta, et constitutiones ad rem, de qua agimus, spectantes confirmavit; tum quid nomine alienationis intelligendum explicavit; scilicet omne pactum, per quod dominium transfertur, concessionem, hypotecam, locationem, et conductionem ultra triennium, necnon infeudationem, vel contractum emphiteuticum, præterquam in casibus à jure permissis, ac de rebus, et bonis in emphiteusim concedi solitis ex Ecclesiarum evidenti utilitate, ac de fructibus, et bonis, quæ servando servari non possunt. (1) Adhæc sollemnitati prius requisitæ consensum Sedis Apostolicæ adjunxit, per quod tamen Canon *Terrulas* non esse derogatum declaravit Sacra Congregatio Concilii apud Fagnanum ad *Cap. Nulli 5. de Rebus Eccles. alien.* Dein præter contractus irritationem, quem tamen Ecclesiæ utilem probatum poterit illa ratum habere, gravissimas in prædictæ Constitutionis violatores infligit pœnas. (**) Tandem Syn. Trident. præf. *Sess. XXV. Ref. cap. 11.* decrevit, quod *locationes si anticipatis solutionibus fiant, nullatenus in præjudicium successorum validæ intelligantur.* Quin et piissimi Reges nostri *Leg. VII. et X. Tit. II. Lib. I. Novæ Recop.* vasa sacra, et alia quælibet Ecclesiæ utensilia non solum vendere, sed etiam pignori subicere vetuerunt, pœna dupli, et æstimationis inflicta in eos, qui vel negaverint, vel non detegerint rem sibi venditam, aut pignoratam fuisse. Si verò propter belli necessitatem aliquando contigerit, quod vasa sacra, seu pretiosa Ecclesiæ mobilia Reges sumpserint, utenda, hoc tamen cum restitutionis spe fieri declaravit Joannes II. *Leg. IX. ibid. (*) (2)*

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

DE DECIMIS, PRIMITIIS, ET OBLATIONIBUS. (3)

I. Inter præcipuas Clericorum prærogativas jam *Lib. I. Tit. VIII. §. 3.* illam recensuimus, vivendi scilicet de oblationibus, decimis, primitiis, aliisque à populo fidei collatis subsidiis: id quod naturali rationi conforme, legis Mosaicæ, Christi, et Apostolorum exemplo comprobatum *ibid.* demonstravimus. Porro duo hic supersunt proprius discutienda. Primum undè repetenda Decimarum origo. Alterum quænam fuerit antiqua Ecclesiæ disciplina in distributione rerum sponte à fidelibus Ecclesiæ oblaturarum. Denique pauca de Primitiis subnectemus. Sit igitur primo.

(1) Vide notam V. in hunc tractatum.

(2) Conc. Mexic. III. in tit. 8. lib. 3. § 1. Bona ecclesiast. non alienari et alienantium pœnas statuit.

(3) Vide notam VI in hunc tract.

ARTICULUS I.

DE DECIMIS.

II. Prima, quæ hac de re in sacro veteri Codice occurrunt vestigia, sunt Abrahami Decimæ è manubiis omnibus devictorum ab ipso regum Sacerdoti Melchisedeco persolutæ: *Gen. XIV. v. 20.* Hanc avi sui pietatem imitatus Jacobus cunctorum, quæ sibi in Mesopotamia acquirenda essent, decimas Deo offerendas vovit: *ibid. XXVIII. v. 22.* quam fidem ab itinere reducem liberasse nemo vel subdubitarit. Porro ante Mosaicam sanctionem *Levit. XXVII. v. 30.* nullus ex ipsis religiosissimis Patriarchis legitur, qui tanquam divinum pensum sibi decimas solvendas duxerit. Adhæc neque Mosaicum præceptum prius impletum spectamus, quam post adquisitam ab Israelitis terræ promissæ pacificam possessionem. Quæ de re probanda videtur hoc in capite S. Thomæ sententia, qui *Secunda Secundæ Q. LXXXVII. art. 1.* censet legem decimarum eo intuitu spectatam, qua decimafructuum terræ pars debetur, esse omnino positivam, ac judicialem, quæ Christi adventu cessavit; at porro ea ratione, qua eis, qui divino cultui ministrant ad populi totius salutem, populus ipse necessaria vitæ subsidia præstet, ipsa naturali ratione inditam esse. Hæc S. Thomæ sententia concordi Theologorum, et politorum Canonistarum suffragio recepta est: (**) atque hoc in sensu usurpandum est id quod dicitur in Syn. Valent. an. 1565. *Sess. V. Tit. IV. cap. 16.* et in *Compil. Tarracon. Lib. III. Tit. XVIII. cap. 3.* nimirum quod decimarum solutio jure Divino, et Ecclesiasticis legibus præcipitur. (*)

III. Quid quod per quatuor priora Ecclesiæ sæcula nulla pœne occurrit decimarum mentio? ita sane. Quum enim frequentissimæ, ac satis copiosæ oblationes essent, quas sponte fideles Ecclesiæ conferébant, hinc nullam oportuit de decimis, atque adeo neque de victu ad Clericorum sustentationem fidelibus præstando, edere sanctionem.

IV. Primi, qui decimarum meminerint sunt Auctor *Constit. Lib. VII. cap. 30.* Hieron. in *Malach. Cap. 3.* Chrysost. *Hom. III. in Epist. ad Ephes.* dein et August. *Enarrationes in Ps. 146.* Cassianus *Coll. XIV.* alique Patres. Neque verò de decimis loquuntur, vel tanquam præcepto aliquo divino, aut ecclesiastico conferendis, vel tanquam ubique gentium universe conferri solitis. Sed de iis perinde verba faciunt, ac de solutione voluntaria, ad quam Hebræorum exemplo excitari oportebat fideles, quum tepescente charitate non omnia Ecclesiæ, ejusque ministris necessaria sponte à fidelibus suppeditarentur.

V. Jam verò quum Patrum monitis paullatim pendendarum decimarum consuetudo invaluisset, Canones deinde sanciti sunt, quibus ad præstandas Clericis decimas populus obligari cœpit. Ita Syn. Matiscon. II. *Can. IV.* Capitulare Caroli M. an. 801. *Cap. 6.* aliæque per ea sæcula habitæ Synodi: donec tandem jure decretalium decimarum solutio, quæ jam universe obtinebat, atque antiquo fidelium usu firmata fuerat, generali sanctione cuncto populo christiano imposita est. (**) In Hispania jam olim Decimarum meminit Syn. Palent. an. 1129. *Cap. II.* sed uti communem Christiano populo legem impositam ipsis prædiis adjectam, supponit Jo. Cardin. Sabin. Legatus in Conc. Ilerd. an. 1219. in *Compil. Jo. Teres Lib. III. Tit. XVIII. capit. 1.* eamque primo agnovit Alphonsus Sapiens ad annum 1255. *Leg. IV. Tit. V. Lib. I. Fori Regii,* dein Syn. Penna-fid. an. 1302. *Cap. VII.* ac reliqua inde celebrata Concilia. (*)